

De substantivorum Umbricorum declinatione **scripsit Dr. Armin. Frider. Zeyss.**

Particula I.

Cap. I. De universa substantivorum umbricorum declinatione.

§. 1.

Numerus in umbrica lingua aeque atque in latina duplex est, singularis et pluralis; dualis enim nullum usquam neque nominum neque verborum vestigium exstat. Tamen praecise negare hunc Umbris fuisse dubitaremus, nisi omnis huius rei dubitatio eo tolleretur, quod ipsius nominis numeralis, quo numerus binarius significatur, forma quum non solum in sanscrita et graeca lingua, sed etiam in latina sit dualis, apud Umbros pluralis est. Nam in neutro genere tuva (II. b. 27. III. 32. 34), i. e. duo, pariter ac triia (IV. 2.), i. e. tria, dicunt. cf. Grotefend. Rudiment. linguae umbricae Partic. V. 24. et VIII. 35.

§. 2.

Casus in lingua umbrica pariter atque in sanscrita octo sunt; ad sex enim Latinorum localis et instrumentalis accedunt, quorum quidem illo pluralis numerus, hoc singularis caret. Ceterum umbrica declinatio maxima ex parte cum prisca Romanorum congruit, idque ita, ut apud Umbros eosdem, quos in latina lingua veteres Romanorum grammatici statuerunt, declinationum ordines facile discernamus (cf. Grotef. I. l. P. IV. 28.), quam ob rem illorum in hoc libro auctoritatem sequemur.

§. 3.

In nominativo singularis numeri in umbrica lingua aeque atque in latina nominibus masculinis et femininis aut s affigitur, quod in secunda declinatione

in r mutatur, aut carent huius generis nomina hac casuali littera, ut quae primae declinationis sunt et quae in tertia in liquidas n et r exeunt. Neutra vero, quorum nominativus, accusativus et vocativus in utroque numero etiam in umbrica lingua eodem modo desinunt, aut, id quod ad ea pertinet, quae secundae sunt declinationis, m assumunt, aut, cuius generis ea sunt, quae ad tertiam referuntur, mera sua stirpe acquiescunt.

§. 4.

In latina quidem et osca lingua is constat principalem esse genitivi singularis omnium declinationum terminationem, at in umbrica *ēs* primitivum eius exitum esse tertiae declinationis genitivo probatur. Quocum extrema nominis vocalis quum in prima, secunda, quarta, itemque, ut videtur, in quinta declinatione coalesceret, in prima *ās*, in secunda et quinta *ēs*, in quarta *ōs* terminatio orta est. Posteriore vero aetate pro s littera extrema constanter r in hoc casu Umbri utebantur, quare in tabulis posteriore aetate exaratis primae declinationis genitivus in *ār*, secundae in *ēr*, tertiae in *ēr*, quartae in *ōr* cadit. Quintae quidem genitivus eodem modo, quo secundae, videtur desisse, quamquam exemplis id non licet confirmare.

§. 5.

Ut latinae et oscae linguae dativus singularis in eo graeco respondet, quod i vocali primitivae nominis formae affixa formatur, sic etiam in umbrica lingua primitivum eius inclinamentum i fuisse tertiae declinationis dativus approbat. Quae vocalis quum in prima, secunda, quarta, quinta declinatione cum extrema vocali principalis nominis formae conflueret, in prima *ē* terminatio effecta est, in quarta *ō*, eademque in secunda, qua tamen e pro o est frequentatum. Quintae vero dativus quem exitum habuerit, exemplis quidem probari nequit, sed in *ē* litteram eum exisse verisimile est, in quam vocalem etiam tertiae declinationis i, quum in umbrica aequae atque in antiqua latina lingua i et e saepissime inter se commutarentur, vertebatur.

Annotat. I. Grotefendo quidem Part. IV. 18. et V. 27. dativus singularis numeri per omnia trium priorum declinationum genera proprie in e exire videtur, sed longe secus est. Nam primum, id quod in tertio capite explicavi, antiquissima dativi secundae declinationis terminatio *ō* in tabulis iguvinis invenitur. Deinde diversam illius e in tribus his declinationibus quantitatem fuisse verisimile est, quippe quod in prima productum fuisse ex linguae graecae et latinae comparatione appareat, itemque in secunda ex eo, quod pro e etiam ei scriptum legimus. In tertia contra corruptum id fuisse latinae linguae comparatione probatur.

§. 6.

Communis est umbricae linguae cum sanscrita, zendica et latina *m* accusativi singularis propria et peculiaris nota. Quae littera quum in prima, secunda, quarta et quinta declinatione itemque in iis tertiae nominibus masculinis et femininis, quorum primitiva forma vocali terminatur, ipsi principali formae, in iis autem tertiae masculinis et femininis nominibus, quorum nativa forma in consonantem cadit, vocali *e* vel *i* interiecta affigeretur, in prima declinatione *am*, in secunda et quarta *om*, in tertia *em* et *im* terminationes ortae sunt. Etiam quintae accusativum in *em* exitum habuisse verisimile est, quamquam exemplum eius non licet proferri. Neutra vero tertiae declinationis casuali illa littera omnino carent. Nec praetermittendum est per omnia declinationum genera in umbrica lingua aequae atque in latina saepissime eam abici. cf. Schneider. Gr. lat. vol. I. p. 307. Grotend. Rud. I. umbr. P. II. 5. et IV. 22. quam consuetudinem etiam apud Oscos fuisse ex eo intelligitur, quod in tabula Bantina vs. 7. 8. 11. *comono* invenitur, quorum locorum posteriores duo vs. 17. respondent, ubi *comonom* legitur.

§. 7.

Vocativi proprium est proxime ad primitivam nominis formam accedere. Ita fit, ut eorum nominum tertiae declinationis, quae in *s* exeunt, hic casus abicienda nominativi nota formatur, quod item in masculinis secundae usu venit, quo accedit, quod eorum syllabae ultimae vocalis in *o* mutatur et citata pronuntiatione ita solet attenuari et elevari, ut plerumque pro eo *ē* inveniamus. Quorum vero nominum nominativus finali *s* littera, quae eius propria est, caret, eorum vocativus eodem modo, quo ille, desinit. Horum in numero primae declinationis nomina sunt et magna pars eorum, quae ad tertiam referuntur.

§. 8.

Ablativi singularis principale inclinamentum *e* vel *i* litteram fuisse tertia declinatione probatur. Quae quum in ceteris declinationum ordinibus cum extrema nominis vocali conflueret, factum est, ut primae ablativus in *ā*, secundae et quartae in *ū*, quintae in *ē* exiret. In quarta vero pro *ū* et in quinta pro *ē* etiam *i* Umbri utebantur. cf. Grotend. Part. IV. 29. Considerantibus autem nobis ablativum singularis ut in sanscrita et zendica linguis *t* littera, ita et in prisca latina et in osca lingua *d* terminatum fuisse, etiam apud Umbros hic casus antiquissimo tempore videtur in dentalem litteram cecidisse, ea vero iam antiquitus abiecta esse. Quod eo similis veri est, quo magis lingua umbrica ad mutilandas et hebētandas syllabas finales inclinat.

§. 9.

Peculiarem esse linguae umbricae casum localem primus Lassen. in iis, quae ad explicandas tabulas iguvinas attulit, p. 38. et 39. his locis adductus docuit:

VI. a, 26. persei ocre Fisie pir orto est, toteme Iovine arsmor dersecor subator sent.

VI. a, 36. persei ocre Fisie pir orto est, tote Iovine arsmor dersecor subator sent.

VI. a, 46. pirse ocrem Fisiem pir ortom est, toteme Iovinem arsmor dersecor subator sent.

VI. b, 29. perse ocre Fisie pir orto est, tote Iiovine arsmor dersecor subator sent.

nam quum casum verborum toteme Iovinem, quem cum ocrem Fisiem congruere eadem ratione, in qua utrumque enunciatur, intelligitur, ad eos, quos percensuimus, referri non posse ex terminatione appareat, cuius integra forma in locis propositis me est, hoc quidem patet, alium ea casum significari. Jam conferentes linguas latinae cognatas praeter sex illos casus instrumentalem etiam et localem iis esse videmus, quo opinio alterius utrius hoc inclinamentum umbricum proprium esse facile excitatur. Omnem vero huius rei dubitationem tollemus itemque intelligemus, utri horum casuum terminatio me tribuenda sit, si, quam vim habeant loci, quos attulimus, spectaverimus. Nimirum locus in iis hac terminatione significatur, id quod iam Lassen. in libro, quem supra memoravimus, et Grotefend. Part. IV. 9. viderunt. Accedit, quod etiam ceteris omnibus locis aut loci aut temporis, quo quid fiat, significatio datur. Utramque vero vim in hoc casu inesse quum linguis latinae cognatis, tum ipsa latina lingua cognoscere licet.

Jam tres distinguendae sunt huius casus localis terminationes. Et antiquissimae quidem, quam una in prima tabula invenimus, integra forma mem est. Nam I. b, 16. ake?uniamem et I. b, 12. bis positum althem legitur. Mutata est ea in men in tertia tabula, ubi vs. 11. arvamen et vs. 20. vukumen esunumen invenimus. Neque vero in ullo casu magis crescentem animadverti licet terminationis extenuationem et imminutionem quam in hoc locali, nam in prima iam et in tertia tabula, id quod ubique factum est in secunda, sexta et septima, extrema huius inclinamenti littera abiecta est. Huc pertinent esunume I. b, 14., quocum esonome VI. b, 50. et 52. conferendum est, rupiname I. b, 35. et 36., cui VII. a, 43. et 49. rubiname respondet, et pe?ume III. 33. et II. b, 27., pro quo VI. b, 38. 39. 40. persome scriptum est. Accedunt acesoniam VI. b, 52., quod formae ake?uniamem I. b, 16., quam supra attulimus, respondet, anglome VI. a, 9., asame VI. a, 10., car-

some VI., a 13. et 14., nuvime II. b, 26, oosercelome VI. a, 12., pertome VI. a, 14., purome VI. b, 17. et VII. a, 38., randeme VI. a, 14., ruseme VII. a, 8. 9. 23., smursime VI. a, 13., termnome VI. b, 57. 63. 64., tettome VI. a, 13. et 14., ubi bis scriptum est, todcome, quod item VI. a, 10. bis legitur, vasetome VI. b, 47., vasirslome VI. a, 12. Haec vero apocope quum ante consonantem aequè atque ante vocalem locum habeat, *ν ἐφελκυστικὸν* cum hac extrema littera nasali non fere conferri potest. Sed comparare licet cum hac varietate et apocope extremae litterae nasalis neutrius generis substantiva in lingua latina in en exeuntia, quae in tribus paribus casibus singularis in prima tabula in em desinant, in secunda in en, in sexta vero et septima extrema littera nasali plane abstineant. Tantum vero abfuit, ut Umbri in hac terminationis localis imminutione acquiescerent, ut etiam e vocalem abicerent. Argumento est Sahatam VII. a, 45., pro quo I. b, 38., qui locus cum illo in omnes partes concinit, Satame legitur. Adde, quae supra attulimus, ocrem Fisiem et toteme Jovinem VI. a, 46., quae pro ocreme Fisieme et toteme Jovineme scripta esse manifestum est. Quin etiam, quae una ex terminatione locali supererat, m littera ab Umbris abiiciebatur, id quod exemplis, quae dixi, ocre Fisie et tote Jiovine probatur, ita ut hic casus localis ab aliis casibus vix posset discerni; certe horum nominum dativus et localis adeo mutilatus eundem sonum referunt. Recte igitur Lassen. in libro, quem memoravimus, p. 38. servatum quidem dixit in lingua umblica ex antiquissimis temporibus casum localem, sed iam qua aetate tabulae iguvinæ exaratae essent, in eo fuisse, ut aboleretur. Ceterum hoc non praetereundum est, primae declinationis nominum, quae supra attulimus, localem toteme Jovinem (e) esse, non totame Jovinam (e), quum in iisdem tabulis sexta et septima rubiname, aceso niam, asame legantur. Quam formam localis casus cum illa conferentibus nobis non, ut Lassenio p. 39., dativo tote Jiovine terminatio me videtur affixa esse, sed potius primitivum a in e mutatum. cf. quas in capite altero attulimus imminutas formas localium ake?uniamem et rupiname.

Altera vero hujus casus terminatio est ma? sive ma; nam etiam hanc pro consuetudine sua Umbri mutilabant. Sic legimus:

III. 32 — 33. Ererek tuva tefra spantima? prusekatu, i. e.

Deinde duo exta in libatione (*σπονδῆ*) prosecato.

III. 34 — 35. Inumek etrama spanti tuva tefra prusekatu, i. e.

Tum in altera libatione duo exta prosecato.

IV. 2. Inumek tertiama spanti triia tefra prusekatu, i. e.

Tum in tertia libatione tria exta prosecato.

Accedunt perskluma? III. 21., asama? IV. 6. sive asama II. b, 39. IV. 16., credlama?

IV. 6., ubi *eredluma?* legendum videtur, sive *eredluma* III. 35. IV. 3. et 10., *spinama?* II. b, 33. sive *spiniama* II. b, 37., i. e. in sacra spina offerenda. Hac syllaba item locum et tempus significari, ex iis locis, quos satis intelligi licet, apparet. Credas sane non tam peculiarem eam esse casus localis terminationem, quam aliam eius terminationis, quam primam memoravimus, formam, quae ex temporum, quibus tabulae iguvinæ exaratae sint, diversitate orta sit, idque eo magis, quod syllaba *ma?* sive *ma* nusquam nisi in secunda, tertia et quarta tabula invenitur, ut pro *asama?* (IV. 6.) sive *asama* (II. b, 39. IV. 16.) VI. a, 10. *asame* legitur. Obstat vero, quod praeter inclinamentum *ma?* sive *ma* in iisdem tabulis secunda et tertia *pe?ume* (II. b, 27. et III. 33.) invenitur, itemque in tertia tabula *arvamen* (III. 11.) et *vukumen esunumen* (III. 20.).

Tertia casus localis terminatio est *fem*, quae integra una in prima tabula exstat. Nam I. b, 14. *vapefem* reperitur, pro quo VI. b, 51. *vapefe* legitur. Ut vero inclinamentum *mem* iam in prima tabula nasalem extremam amisit, ita in eadem tabula etiam syllaba *fem* littera finali privata est. *Avieklufe* enim I. b, 14. invenitur et I. b, 9. *verufe*, cui VI. b, 57. *verofe* respondet. Atque adeo ut terminatio *me*, ita etiam *fe* vocalem suam deposuit, id quod *trahaf sahatē* (VII. a, 41.) sive *traf sahatam* (VII. a, 39.) probatur. Quid quod etiam littera *f*, quae una iam de syllaba locali restat, abiicitur? Sic pro *trahaf sahatē*, quod VII. a, 41. legitur, I. b, 31., qui locus cum illo plane congruit, *tra sate* reperitur, et pro *vapefem* *avieklufe*, quod I. b, 14. invenitur, VI. b, 51., ubi verba sunt eadem, *vapefe avieclu*, itemque VI. a, 10. *vapefe aviehclu*. Hanc vero terminationem *fem* sive *fe* idem valere, quod positionem *mem* sive *me*, et eandem singularis numeri esse, primum inde efficitur, quod nomina in *fe* desinentia eorum sunt attributa, quorum localis in *me* syllabam excidit. Sic *acesoniame hebetafe* VI. b, 52 — 53, et *ebetrafe oosercelome* VI. a, 12. legimus. Etiam *presoliafe nurpier vasirslome* VI. a, 12. huc pertinere videtur. Accedunt *traf sahatam* VII. a, 39. sive *trahaf sahatē* VII. a, 41., quorum casus idem est, qui formarum *tra sahta* I. b, 35. et *satame* I. b, 38., pro quibus VII. a, 44. et 45., qui loci eodem, quo illi, sunt exemplo, *traha sahatam* legitur. Deinde apparet hoc, si confers *pune fesnafe benus* II. a, 16. cum *ape acesoniame hebetafe benust* VI. b, 52 — 53. et *ape termnome benuso* VI. b, 64., idemque, si comparas *verufe treplanu kuvertu* I. b, 9. sive *verofe treblano covertu* VI. b, 47. cum *enu rupiname pustru kuvertu* I. b, 36. sive *enem rubiname postro covertu* VII. a, 44., *enu satame kuvertu* I. b, 38. sive *enem traha sahatam covertu* VII. a, 45., *asama kuvertu* II. b, 39. et *ape termnome covortuso* VI. b, 63 — 64., quum idem verbum his locis iunctum sit cum nominibus in *fe* et in *me* syllabam exeuntibus. Tum locum et tempus *fe* inclinamento significari inde patet, quod *pufe* (I. b, 33. et VII. a, 43., VI. a, 8., VI. b, 50.)

non est dubium, quin ubi sit Latinorum, quippe quod per aphaeresin ex quobi sive eubi ortum sit; id enim probatur compositis sicubi, necubi, alicubi, quod superiore tempore aliquobi scribebatur. vid. Cassiod. Orth. 2314. P. Conferre licet tefe (I. b, 13. II. a, 24. VI. a, 18.), quod tibi esse Latinorum apertum est. *)

Annotat 2. Quum nonnullis locis, quibus substantivo adiectivum iunctum invenitur, unum id nomen, quod priorem tenet locum, syllaba locali terminetur, ut asama deveia VI. a, 10., toteme Iovine VI. a, 26., etrama spanti III. 34., tertiama spanti IV. 2., vafepe avieclu VI. b, 51. sive vafepe aviehclu VI. a, 10., opponat sane aliquis syllabas mem, ma⁹ et fem non casus alicuius esse, sed particulas nominibus annexas. At vero, ut taceam, quod aliis locis, quibus adiectivum substantivo additum est, utrumque in me sive m et in fe sive f exit, ut ocrem .Fisiem — toteme Jovinem VI. a, 46. et vafefem avieklufe I. b, 14., hae syllabae, id quod gravissimum est, si particulae essent, neque ita, ut fit, mutilarentur, neque plane abicerentur.

Jam si quis quaerat, cui nominae ordini quaeque harum terminationum conveniat, non habeo, quid respondeam. Id tamen apertum est, non ex libidine Umbros his terminationibus usos esse, tertiam certe a duabus illis prioribus, quarum in forma aliqua saltem est similitudo, discrevisse. Nam asa unum nomen est, cuius localis duplici modo formatus invenitur; legimus enim et asama⁹ IV. 6. sive asama II. b, 39. IV. 16. et asame VI. a, 10.

Restat, ut explicemus, quae coniunctio inter umbricum localem et localem linguarum cognatarum intercedat. Atque secunda quidem umbrica terminatio solitaria quodammodo videtur esse, nam nulla in his eius casus forma invenitur, quacum illa comparari possit. Ad primam autem quod attinet positionem, primum pronominum casus localis in sanscrita lingua, inter stirpem et terminationem in litteris sm interiectis, syllaba sm in et in zendica, sibilo in aspirationem attenuato, hmi terminatur. In Pali vero et Pracrita, quae linguae a Sanscrita descendunt, etiam nominum casus localis similiter desinit; nam s littera sequenti m assimilata et finali u littera abiecta stirpibus in a, i, u exeuntibus positiones ammi, immi, ummi ortae sunt. cf. Lassen. in libro, quem dixi, pag. 40., qui hanc casus localis formam cum umbrica componens recte statuere videtur, ab antiquiore aliqua forma eaque indicae propinquiore umbricas terminationes ame, ome, eme ortas esse; nam ut in zendica lingua s littera in h mutata est et in Pali ac Pracrita sequenti m assimilata, ita in umbrica eius elisio videtur productione antecedentis vocalis compensata esse. Eodem pertinet,

*) Not. I. In errore igitur Grotefend. versatur, qui Part. V. 21., quum vocis pufe casum eundem atque apruf habeat, instrumentalis casus fe terminationem esse statuit.

quod in sanscrita lingua feminini generis substantivorum, quae in vocalem exeunt, casus localis in *ām* syllabam cadit. Deinde cum prima illa localis umbrici forma conferri licet adiectivorum et pronominum in lingua lithuanica casum localem, quippe qui in *me* syllabam exitum habeat. Tum dignae sunt memoratu latinae linguae prae-scae illae casus localis formae, tamen et *cume*, quae in carmine Saliari pro tam et quum legebantur. De illa vid. Fest. p. 360., de hac Terent. Scaur. pag. 2261. Neque Osci ab hac casus localis forma abhorrebant, id quod fiiisname probatur, quae vox in Cipp. Abellan. 30. legitur. Jam vero cum tertia forma localis umbrici componenda videtur et graeca syllaba finalis *qv* sive *qi*, cui certum est nullam aliam primo notionem nisi loci subiectam fuisse, et latina terminatio *bi* sive *be*, quam in adverbiiis pronominalibus *ibi* et *ubi* itemque in praepositione *ambi* (*ἀμφι*) sive *ambe* (Varr. L. L. 7, 30.) servatam habemus.

§. 10.

Nominativum pluralis nominum masculinorum et femininorum in *er* exire indicio est nominativus tertiae declinationis. Quae terminatio quum in prima et secunda declinatione cum principalis nominis formae vocali extrema conflueret, in illa *ār*, in hac *ōr* sive *ūr* inclinamentum ortum est. Quartae quidem et quintae declinationis exempla huius casus non exstant, sed verisimile est in illa eum in *ōr*, in hac in *ēr* cecidisse. Ceterum quum huius casus exempla ad unum omnia in tabulis inveniuntur posteriore aetate exaratis, qua Umbros finalem *s* litteram in *r* mutasse scimus, antiquiore tempore extremam huius casus litteram *s* fuisse probabile est, quo modo non solum cum latino nominativo, qui antiquissimo tempore etiam in prima et secunda declinatione in *s* desinebat, sed etiam cum sanscritica forma eius convenit. Quum vero in latina lingua tertiae declinationis nominativi terminatio producta sit, id quod suavitate soni videtur effectum esse, etiam umbricum nominativum propinquitate, qua lingua altera alteri coniuncta est, adducimur, ut in longam syllabam cecidisse credamus. Neutorum vero nominativus pluralis a littera terminatur, quae extenuatione quadam interdum in *e* mutatur.

§. 11.

In omnibus linguis sanscritae cognatis ea antiquissima genitivi pluralis forma ponenda est, ut *m* consonanti longa vocalis praemissa sit. cf. Lassen. in libro, quem supra laudavimus, p. 53. In latina autem lingua quum *m* littera hanc vim habeat, ut antecedentem vocalem corripiat, ex propinqua, quae inter utramque linguam intercedit, cognatione id colligere licet, etiam in umbrica brevem eam fuisse. Jam vero haec in hoc casu formando distinctio apparet.

1. Si in consonantem stirps desinit, haec ei terminatio, ut in lingua latina,

aut nulla vocali interiecta aut vocalis i auxilio affigitur, id quod in magnum numerum eorum nominum cadit, quae tertiae sunt declinationis, ut fratrom, i. e. fratrum, et peraenio(m).

2. Si vero vocalis est extrema stirpis littera, triplex positionis annectendae ratio est.

a. Et primum quidem inter stirpem et terminationem consonans auxiliaris interponitur, qualis in sanscritae linguae nominibus n et in pronomibus s est. Eodem modo r litterae ope latina lingua utitur, quam sequitur umbrica, verumtamen nonnisi in nominibus ad primam declinationem referendis. Vocalis vero, quae in finali antecedit, quamquam in ceteris omnibus nominibus o, in his tamen u est. Ita fit, ut primae declinationis genitivus pluralis in umbrica aequae atque in latina lingua in arum exeat.

b. Deinde terminatio stirpi nulla consonante interposita annectitur, ita ut vocalis altera iuxta alteram posita sit. Quam rationem ea tertiae declinationis nomina sequuntur, quorum stirps in vocalem desinit, ut buo(m), i. e. boum.

c. Tum vocalis, in quam principalis nominis forma desinit, removetur. Quae quemadmodum in graecae linguae nominibus, quae primae et secundae sunt declinationis, cum vocali terminationis contrahitur, ita in latina lingua nonnullorum, quae primam et secundam sequuntur, eorum maxime, quae nummos, mensuras et pondera significant, vocalis extrema eliditur. Et ad hanc quidem rationem in umbrica lingua omnium eorum nominum genitivus revocandus est, quae ad secundam declinationem sunt referenda, ut erom, i. e. eorum. *)

Ceterum non solum accusativi singularis nasalem extremam, sed, id quod omnino faciunt Gothi et Lithuani, etiam genitivi pluralis Umbri saepe abieciabant.

§. 12.

Quum duae in lingua latina dativi pluralis numeri terminationes sint, quarum neutra ex altera pendeat (cf. Hartung. de casib. pag. 237.), is, quae cum graeca forma congruit, et bis vel bus, quae cum sanscritica, in umbrica simplex eius casus flexura est. Nam in prima et secunda declinatione in es sive is desinit, quae positio posteriore aetate, qua pro s littera extrema r Umbri utebantur, in er sive ir, sive eir mutata est, in tertia autem in us. Quartae vero et quintae dativi nul-

*) Not. 2. Ut Struv. de declin. et conig. lat. p. 8. et 15. latinorum nominum, quae memoravimus, genitivum pluralem contractione ortum esse vult, ita Lassenio in libro, quem laudavimus, p. 54. umbricorum nominum, quae secundae sunt declinationis, genitivus pluralis numeri contractione videtur formatus esse. Sed non magis in latina quam in umbrica lingua est, quod in hanc sententiam discedamus.

lum quidem exemplum exstat, inde tamen, quod ablativi pluralis, qui in quarta in *es* et postea in *ir* cadit, eadem fere, quae dativi pluralis, terminatio est, facile colligere licet, iisdem syllabis dativum quartae terminatum fuisse. Umbricum autem inclinamentum *es* sive *er*, sive *ir* primae secundaeque declinationis quum idem sit ac latinum *is*, eadem necesse est, qua illud, ratione ortum sit. Iam vero ut ex eo, quod teste Festo p. 19. ed. Mueller. veteres ab *olo* *es* dicebant pro ab illis, recte concludunt latinam ablativi et dativi pluralis primae et secundae declinationis terminationem *is* inclinamento *es* cum extremis formae principalis vocalibus *a* et *o* contrahendo genitum esse, ita eadem videtur in umbrica lingua contractio facta esse. Comparantes autem illas antiquas positiones latinas *aes* et *oes* cum graecis *ας* et *ος* ex *ασι* et *οσι* ortis docemur, in latina umbricaque lingua aeque atque in graeca dativum pluralis extremam *i* vocalem amisisse. Quodsi pari ratione certum habere cogimur etiam in tertiae declinationis umbricae dativo pluralis, qui in *us* exit, quae syllaba nullo modo ex *ibus* nata esse potest, extremam *i* vocalem abiectam esse, in omnium patet declinationum dativo pluralis formando Umbros cum Graecis concinere nec discrepare ab iis nisi in eo, quod hi tertiae declinationis positioni *σις* praemittunt (*ἀνδράσι, χείρεσι, πόλεσι*), at illi pro ea vocali *u* utuntur (*tratus, homonus, nerus*). Quae vocalis cum neque contractione orta sit, et brevi Graecorum vocali respondeat, quin item brevis fuerit, non dubitamus. Lithuanica vero dativi pluralis terminatio *mus* cum umbrica *us* conferri non potest, quum illa latinae positioni *bus* et sanscriticae *bhjáś* respondeat.

§. 13.

Principalis accusativi pluralis figuratio ea erat, ut, id quod comparativa arte grammatica docetur, ad notandum pluralem numerum singularis accusativi positioni *s* littera iungeretur, quae quidem accusativi forma antiquissima una in Gothica lingua servata est, quippe in qua accusativus pluralis *ns* litteris terminetur. *) Nam in latina lingua suppressa iam antiquo tempore eius inclinamenti nasali littera antecedens vocalis producta est. Quae eadem res quum in umbrica lingua acciderit, in prima eius declinatione accusativus pluralis in *ās* exit, in secunda et quarta in *ūs*, in tertia in *eis*, ex quo *ēs* aeque atque *īs* profectum est. Quintae quidem accusativi non licet exemplum proferre, sed videtur eius positio eadem, quae in tertia declinatione, fuisse. Ceterum harum terminationum consonans extrema, id quod Lassen. quidem in libro, quem laudavimus, p. 18. errore ductus non concedit, quae posteriore

*) Not. 3. Non dissimilis ratio inter singularis numeri dativos *tibi* ac *sibi* et pluralis numeri dativos *nobis* ac *vobis* intercedit, et inter duales Graecorum *ὁὐ* et *σφὼ* et plurales Latinorum *nos* ac *vos*. cf. Grotefend. P. V. 7.

maxime aetate consuetudo erat Umbrorum, saepe in r mutata est. Neutrius autem generis nomina in accusativo aequae atque in nominativo in a exeunt, quae vocalis etiam in hoc casu imminutione quadam interdum in e mutabatur.

§. 14.

Nullum quidem vocativi pluralis exemplum invenitur, sed quum in cognatarum linguarum declinationibus omnibus eius forma eadem, quae nominativi pluralis, sit, non dubitamus, quin in umbrica lingua eadem ratio fuerit.

§. 15.

Ablativus pluralis quum in umbrica lingua aequae atque in latina et osca forma non differat a dativo pluralis, in prima, secunda et quarta declinatione in es sive is exit, quae syllabae, quum posteriore aetate s finale in r mutaretur, in er, ir, eir versae sunt, in tertia vero in us. Quintae quidem exemplum non licet afferre, sed, quum formae principalis eorum nominum, quae ad primam, secundam, quartam, quintam referenda sunt, extrema littera vocalis sit, terminatio eius videtur eadem, quae in prima, secunda et quarta, fuisse.

§. 16.

Praeter hos sex casus, qui umbricae linguae cum latina communes sunt, proprius est ei casus quidam instrumentalis pluralis numeri, qui f littera terminatur, quae tamen, quum consuetudo esset Umbrorum, ut extremas syllabas hebetarent et mutilarent, haud raro abiiciebatur. Opponat sane aliquis nihil hunc casum esse nisi alteram ablativi pluralis formam, quae certo cuidam verborum generi propria sit et latino ablativo in bus exeunti plane respondeat. Sed duae res huic sententiae obstant. Nam primum non solum in sanscrita lingua eadem syllaba bhjäs ablativus et dativus pluralis et in zendica eadem syllaba bjō terminantur, itemque in latina lingua umbricae cognatione proxima eundem hi casus exitum habent, sed etiam in ipsa umbrica lingua perscler sive pescler, fratrus Atiie?ies sive fratrus Atiersier non minus ablativi quam dativi pluralis sunt. Nullo vero loco dativus pluralis in umbrica lingua in f litteram desinit, sed omnium eorum nominum, quorum praeter casum in f exeuntem dativus invenitur, huius alia atque illius est terminatio. Sic legimus nerf sihitu(f) ansihitu(f), at nerus, tref, treif, trif, at tris, i. e. tribus, Iovie(f) hostatu(f) anhostatu(f), at Iovies hostatir anhostatir. Deinde nonnullorum nominum locis maximam partem eodem tempore exaratis non solum ablativum pluralis invenimus, sed etiam hunc, de quo quaeritur, casum in f desinentem. Legimus enim supes et supaf sive supa, klavles et klavlaf,

kapi9us, i. e. capidibus, et capif sive kapi, pesondris (VL b, 40.) et pesondro(f) (VL b, 37.), tures, i. e. turibus, et tuf. Quae quum ita sint, non possumus adduci, ut hunc casum, de quo quaestio est, eundem atque ablativum esse putemus. Instrumentalem autem vocamus eum propterea, quod instrumentum eo significatur.

Iam ad formationem eius quod attinet, si principalis nominis forma in vocalem desinebat vel in consonantem ab f littera non alienam, nulla littera interiecta f ei affigebatur; quod si accidebat, productam sane esse vocalem formae principalis extremam verisimillimum est. Sin in consonantem primitiva forma cadebat f litterae contrariam, aut consonans illa exterebatur, aut vocalis ope formae illi f annecebatur. In prima igitur declinatione af syllaba, in secunda uf et of, in tertia, si vocalis auxilio fingeatur, ef, if et eif casus instrumentalis terminabatur. Idem in quarta in of syllabam desinebat, in quinta autem, cuius quidem exemplum nullum invenitur, in syllabas ef, if, eif cecidisse videtur.

Restat, ut explicemus, quam cognationem umbricae linguae casus instrumentalis cum instrumentali linguarum propinquitatem ei coniunctarum habeat. Etidem quidem ille casus est, qui in sanscrita lingua syllaba bhīs, in zendica bīs, in lithuanica mis terminatur, sed proxima cognatione sanscriticum contingit, nam antiquissimo iam tempore, quum ex consuetudine sua Umbri positiones mutilarent, is abiectum videtur et f sanscriticae aspiratae mediae bh, pro qua etiam Latini f littera utebantur, respondere. Conferre autem licet etiam latini ablativi pluralis terminationem bus, quippe qui non solum instrumentalis vice fungatur, sed etiam, licet proxime accedat ad ablativum sanscritae linguae in bhjās desinentem, non longe tamen absit ab eius instrumentali.

Annotat. 3. Grotefend. quidem P. V. 29. casum in f exeuntem cum praepositionibus iungi negavit: hoc vero falsum esse his locis probatur: II. b, 25. pustin andif et V. a, 13. et 18. pusti kastruvuf, pro quo abiecta f littera V. a, 20. et 21. pusti kastruvu legitur.

§. 17.

Ad tres priores declinationum species non solum nomina substantiva et appellativa et propria referenda sunt, sed etiam adiectiva et participia, numeralia et exceptis personalibus pronomina cf. Grotef P. IV. 28.

Caput II. De prima declinatione.

§. 18.

Nominativus singularis in a litteram exit, ut VI. a, 9. „porsei nesimrei asa deveia est.“

Annotat. 4. feia V. a, 23. et V. b, 1., quod Grotef. P. IV. 32. nominativi singularis primae declinationis exemplum attulit et Part. III. 1. *qvñ* sive *qvññ* vertit, contra Part. VII. p. 6. et §. 5. fiat, praesentis activi coniunctivus est eius verbi, cuius imperativum fetu invenimus, et faciat significat.

§. 19.

Genitivus singularis in antiquiore lingua umbrica as syllaba terminabatur, ut tutas Iiuvinas I. b, 2. 5., i. e. urbis Iguvinae, et fameñias Pompeñias II. a, 2, i. e. familiae Pompiliae. Eadem igitur huius casus terminatio est in umbrica lingua, quae in sanscrita, graeca et latina, nam ut in sanscrita lingua femininarum stirpium in vocalem exeuntium genitivus ās syllaba affigenda formabatur, ita etiam priscae Latini hae genitivi positione nativa, non a Graecis ascita, utebantur. cf. Priscian. ed. Putsch. p. 679. sive ed. Krehl. Vol. I. p. 221. et 222. Charis. p. 83. ed. Putsch. sive ed. Lindem. p. 60. Pompei. ed. Lindem. p. 189 — 191. Voss. Aristarch. IV. 3. ed. Foertsch. P. II. pag. 547. Schneider. Gr. Vol. II. pag. 21. Cuius rei testimonium familias est, quod in compositis pater familias, mater familias, filius familias, filia familias remansit. Ex eo autem, quod in sanscrita lingua, in graeca et in latina huius inclinamenti vocalis producta est, conicere licet etiam umbricae terminationis vocalem longam fuisse. Posteriore vero aetate, qua s littera in fine verborum in r mutabatur, as terminatio in ar versa est. Pro tutas Iiuvinas igitur, quod in antiquissima tabula Iguvina legitur, totar Iiovinar VI. a, 32. 39. 41 — 42. 49. 52. VI. b, 32. 43. 45. 61. VII. a, 3. 6. 10. 14. 15. 16. (bis). 17. 19. 21. 24. 26. 27. 28. 29. 30. (bis) 31. 32. 35. 37. 41. sive totar Iovinar VI. a, 30. VI. b, 10. 13. 34. VII. a, 9. 27. 50. 53. invenimus, itemque totar Tarsinater VI. b, 53 — 54. 59. VII. a, 12. 47 — 48. et adiectivo omissio totar VII. a, 52. Adde vestisiar VI. b, 16. 38. VII. a, 38., quibus locis cum verbis erus dirstu sive erus ditu genitivus iunctus est, et dearum nominum genitivos Prestotar Serfiar VII. a, 20. 22 — 23. 33. 36. et Tursar VII. a, 46., i. e. Tursae Ioviae, cui deae preces, quae sequuntur, adhibitae sunt. *)

*) Not. 4. Perperam Grotef. hanc vocem P. II. 27. et 32. coniunctivum esse putavit et P. VI. p. 28. incenderis interpretatus est.

Deinde in es sive fer syllabam genitivus singularis cadebat, cuius rei exempla sunt dearum nomina Puemunes Puq⁹ikes IV. II. 12—13, sive Puemunes Pup⁹ides IV. 3—4. et 26. (quo loco in archetypo perperam Puemunes Pup⁹ides exaratum est), et kureties I. b, 4. sive Coredier VI. b, 45., i.e. Iunonis Curitis, *Kvq⁹rtias* apud Dionys. Hal. p. 114, 12. Haec terminatio et cum graeca *ης* congruit et, quum Umbri e pro Latinorum ae ponerent, cum latina aes, quam genitivi primae declinationis positionem haud raro in inscriptionibus, etiam ex posterioris aetatis pronuntiatione es scriptam, invenimus. Cf. Voss. Aristarch. IV. 3. ed. Foertsch. P. II. p. 548. Struv. de lat. declin. et coniug. p. 7. Schneider. Gr. lat. Vol. II. p. 22. Hartung. de casib. ling. graec. et lat. p. 164. Quapropter nulla est dubitatio, quin etiam umbricae huius terminationis vocalis producta sit.

Iam vero ut intelligatur, quo modo factum sit, ut non solum in as sive ar, sed etiam in es sive er genitivus desinat, explorandum videtur, quomodo variae in lingua latina huius casus positiones ortae sint. Et antiquissima quidem eius terminatio, cuius exemplum sane nullum exstat, aïs fuit, ex quo primum contractione âs profectum est; deinde, quum diaeresi sublata diphthongus ai in ae mutaretur, aes, quod idem in es vertebatur; tum s littera abiecta aï, cuius exempla vid. apud Priscian. p. 728. ed. Putsch. sive Vol. I. p. 290. ed. Krehl. cf. Voss. Aristarch. IV. 3. ed. Foertsch. P. II. p. 546. Struv. de lat. declin. et coniug. p. 7. Schneider. Gr. Vol. II. p. 22. Ex aï vero terminatione, quum diaeresi sublata vocales confluerent, monosyllabum ai ortum est, quod in ae transiit. cf. Mannhart. Gr. lat. Vol. I. p. 70. Iam eadem ratione, qua in latina lingua, etiam in umbrica videntur terminationes as et es natae esse; genitivi vero s littera carentis nullum hic exstat exemplum.

§. 20.

Dativus singularis in e vocalem exit, ut tute Ikuvine I. b, 13., i. e. urbi Iguvinae, sive tote Iioveine VI. a, 5., sive tote Iiovine VI. a, 18. 24. 31. 40. 42—43. 50. 53. VI. b, 7. 11. 14. 32—33. 34. 51. 62. VII. a, 14. 18. 27. 31., sive tote Iovine VI. a, 33. VI. b, 10. 26—27. VII. a, 50. et tote Tarsinate VII. a, 11. Adde dearum nominum dativos Puemune Pup⁹ike III. 26—27. 35. IV. 10. 12., (quo loco male in archetypo Puemune Pup⁹ikes legitur), sive Puemune Pup⁹ide IV. 24. et Puemune IV. 5., Vesune IV. 3. 6. 10. 12. 25., Prestate **d**erfie I. b, 27—28. sive Prestote Serfie VII. a, 6. 8. 24., Tuse **d**erfie I. b, 31. sive Turse Serfie VII. a, 41., Tuse Iuvie I. b, 43. sive Turse Iovie VII. a, 53. *) Etiam mefe II. a, 28., kletre III. 14. et ase II. b, 19. III. 22., quae nomina

*) Not. 5. turse IV. 19., quum non sit deae nomen, huc referri non potest.

ex imperativo antentu sive atentu pendent, huc videntur referenda esse. Productam vero esse hanc terminationem inde apparet, quod, quum Umbri e pro Latinorum ae uterentur, eadem est, quae latina dativi positio ae, quae etiam e scribebatur, ut Fortune in inscriptione apud Vermiglioli antiche iscrizioni Perugine. ediz. II. Vol. I. p. 16. Ceterum latina dativi terminatio ae, itemque umbrica e, eodem modo nata est ex antiquiore, quae in inscriptionibus invenitur, ai (de qua re vid. Voss. Aristarch. IV. 3. ed. Foertsch. P. II. p. 548. Spalding. ad Quinctil. I. 7, 18. Struv. de latin. decl. et coniug. p. 8. Schneider. Gr. lat. Vol. II. p. 22.), quo in dialectis aeolicis *ae* pro *ε* ex antiqua positione *ai*. cf. Hartung. de casib. ling. graec. et lat. p. 217. Ut vero in lingua graeca latinaque antiquissimo tempore dativus primae declinationis in ai syllabam desinebat, ita etiam in sanscrita et zendica lingua femininarum stirpium in ā exeuntium dativus singularis hac syllaba terminabatur.

§. 21.

Accusativus singularis in am syllabam cadit, cuius extremam litteram saepe Umbri abiiciebant, ut totam Iovinam VI. a, 49. 51. VI. b, 33. VII. a, 16. 29. sive totam Iovinam VI. b, 12. et abiecta m littera totam Iovina VI. a, 41. sive tota Iovina VI. a, 31., quibus locis ex imperativo seritu, i. e. servato, et VI. b, 31., ubi ex imperativo pihatu suspensus est accusativus, sive tota Iovina VI. a, 29. et 39., ubi idem imperativus pihatu accusativo iunctus est. Deinde totam Tarsinatem VI. b, 58. VII. a, 47. et abiecta m littera tuta Ta7inate I. b, 16., quibus accusativis verba etu? stamu coniuncta sunt. Tum commemoratione digni sunt hi loci: „poi percam arsmatia habiest“ VI. b, 53., „poe perca arsmatiam habiest“ VI. b, 50., „porse perca arsmatia habiest“ VI. b, 63. VII. a, 46. et 51. „perca arsmatiam anovihimu“, VI. b, 49. „perca arsmatia habitu“ VI. a, 49.*) Accedit vestidam I. a, 28., quod ex imperativo fiktū, sive vestisiam VI. b, 39., quod ex erus dirstu snspensum est, quae verba item II. a, 21. VI. b, 16. et 38. cum accusativo videntur iuncta esse. Pro hoc abiecta m littera I. a, 17. et 31. vestidia legi-

*) Not. 6. arsmatiam quidem sive arsmatia Grotef. P. II. 33. accusativum esse censet, sed percam sive perca ablativum, cuius integra forma percame sit. In quam opinionem videtur ille percam collatis his locis adductus esse: I. b, 15. „perkaf habetutu punidate“ et VI. b, 51. „perca ponisia ter habituto“, ubi perkaf sive perca instrumentalis pluralis est, pro quo Latini ablativo utuntur. Illis autem locis, quos supra attuli, perca si ablativus singularis esset, percam, quod certe VI. b, 53. legitur, pro eo non poterat positum esse propterea, quod primae declinationis ablativus simplici a vocali terminatur; sin pro percame esset, casus esset localis, quem illic locum habere nihil est quod putemus; nam incorrupto atque integro iudicio illos locos considerantibus nobis casum nominis percam sive perca aequae atque arsmatiam sive arsmatia accusativum singularis ex habiest et imperativis anovihimu atque habitu pendentem, illud vero substantivum, hoc adiectivum esse apparet.

tur, cui accusativo imperativi *ustetu* et *afiktu* adiuncti sunt. Item accusativus est *vestisia* VI. b, 5. et 24. et *vestisa* VI. a, 37., quibus locis quum imperativo *fetu*, i.e. *facito*, iuncta sit, ablativum hanc formam haberemus, nisi ex eo, quod VI. b, 24. *vestisia* et *pesondro* sorsom legitur, accusativi eam esse eluceret. Etiam VI. b, 17. et VII. a, 37. accusativum *vestisia* esse accusativo *sopam*, qui posteriore loco, et imperativo *efurfatu*, qui utroque loco additus est, probatur, itemque VI. b, 6. et 25. participio *vestis*, quod illic, et verbo finito *vesticos*, quod hic ei iunctum est. Adde *sopam* VII. a, 38., ubi verba haec sunt: „*sopam* *purome* *efurfatu*“, sive *sopa* VI. b, 17., ubi legitur: „*sopa* *purome* *efurfatu*“; *) *kletram* III. 13. sive eodem loco *kletra*, qui accusativus cum imperativis *fertuta* *aituta* iunctus est, et *parfam* *tesvam* I. b, 13. sive *parfa* *desva* VI. b, 51. **) Etiam VI. a, 15. et 17. et VI. a, 2. *parfa* *dersva* accusativi sunt, quum imperativi *seritu* et *car-situ* et, quae pro imperativo est, secunda persona singularis praesentis coniunctivi *aserialia* his nominibus sint adiuncta. Posteriores vero duo loci quum ad verbum cum VI. a, 4. congruant, etiam hic *parfa* *dersva* accusativi existimandi sunt, quamquam utrum ex imperativo *anstiplatu* an ex alio verbo sint suspensi, incertum est. Eodem modo *fielam* VII. a, 42. accusativus est et *fikla* II. b, 18. et 29. sive *fiela* VI. a, 56. 59. VI. b, 2. 4. 20. 23. 44. 46. VII. a, 4. 8. 54; nam II. b, 18. imperativus *fertu* ceterisque omnibus locis aequae ac VII. a, 42. imperativus *a?veitu* sive *arsveitu* sive *arveitu* cum hoc nomine copulatus est. ***) Etiam *struhdla* II. b, 18. 28. IV. 4. huc pertinet, sive *strudla* III. 34., sive *strusla* VI. a, 59. VI. b, 5. 23. VII. a, 8. 42. 54. quum addito II. b, 18. imperativo *fertu* et ceteris omnibus locis imperativo *a?veitu* sive *arsveitu* casum eius nominis accusativum esse liqueat

*) Not. 7. Ab hac voce, cuius praeter hunc accusativum ablativum singularis et pluralis itemque instrumentalem pluralis in tabulis iugvinis legimus, simile id nomen, quod ab eadem stirpe ducendum est, sed ad secundam declinationem referendum, necesse est distinguatur. cf. eius casus utriusque numeri accusativum et ablativum.

**) Not. 8. Quamquam ex eo, quod I. b, 13. et VI. b, 51. imperativus *steplatu* sive *stiplatu* cum his nominibus copulatus est, casum eorum accusativum esse satis apparet, tamen Grotef. P. V. 16. localem eum existimavit et tanquam ablativus esset, vertit.

***) Not. 9. Grotefend. P. II. 35. *fielam* et *fikla* sive *fiela*, quia ita omitti potuisset, ut non vi sua illi loci destituerentur, ut II. b, 15. loco illis simili, pro *fielame* positum esse putavit et in *phiala* interpretatus est; sed praeterquam quod hoc argumentum leve et pertenuis est, ut II. b, 17 — 18. „*fertu* *katlu*, *arvia*, *struhdla*, *fiela*“, II. b, 28 — 29. „*struhdla* *fikla* *a?veitu*“, VI. a, 59. VI. b, 23. VII. a, 8. 54. „*strusla* *fiela* *arsveitu*“, VI. b, 4 — 5. „*fiela* *strusla* *arsveitu*“ et VII. a, 42. „*strusla* *fielam* *arsveitu*“, ita II. b, 41. „*struhdla* *fiklas* *sufafias* *kumaltu*“ legimus. Hic vero quum *fiklas* non localem casum, sed aequae ac *struhdla* accusativum pluralis esse manifestum sit, illic *fielam* et *fikla* sive *fiela* pariter ac *struhdla* sive *strusla* accusativum singularis esse apparet.

(cf. Grotef. P. II. 35.), itemque mefa spefa, quorum nominum accusativus VI. a, 56. VI. b, 20. VII. a, 4. ex imperativo arsveitu (cf. Grotef. I. l.) et VII. a, 38. ex imperativo efurfatu cognoscitur. *) Tum mefa I. a, 16. et VI. b, 17. accusativum esse additis imperativis ustetu et efurfatu intelligitur. Praeterea afferendi sunt accusativi peica mersta, qui VI. a, 16. 17. 3. imperativos seritu et carsitu et, qui pro imperativo est, coniunctivum aseriaia sequuntur. Idem videtur VI. a, 4., qui locus cum posterioribus duobus congruit, nominum eorum casus esse, quamquam non constat; utrum ex imperativo anstiplatu an ex alio verbo pendeat. Tum destra mescapla VI. b, 49. accusativi imperativo anovihimu additi digni sunt, qui hic memorentur. **) Denique spina II. b, 38., quod nomen cum imperativo umtu coniunctum est, videtur accusativus esse. Sed accusativus dihde?a III. 15. utrum huc referendus sit, an tertiae declinationis plurali ascribendus, incertum est.

§. 20.

Vocativus singularis aequae ac nominativus simplici a vocali terminatur. Exempla sunt dearum nomina: Tursa Serfia VI. b, 58 et 61., Tursa Iovia VII. a, 47. et 49., Prestota Serfia VI. b, 57. VII. a, 9 — 10. 11. 13. 15. 18. 19. 21. 22. (ubi in archetypo male Prestota Serfiar invenitur), 25. 26. 27. 28. 29. 31 — 32. 33. 34. 35. sive Prestota Serfia VI. b, 61. et VII. a, 16.

*) Not. 10. In medio relinquimus, num VI. b, 5. et VII. a, 37. nominum mefa spefa casus accusativus sit, quum qui iis adiunctus est imperativus fetu, i. e. facito, etiam cum ablativo copuletur.

**) Not. 11. Quum imperativus anovihimu accusativum requirat, id quod verbis antecedentibus: perca arsmatiam anovihimu probatur, errant utique Lanzi Sagg. Tom. I. p. 305., Lassen. p. 39. et Grotefend. P. VI. 24., qui veram scripturam destra mescapla VI. b, 49. in destrame scapla, qui casus localis est, mutant. Praestaret certe, si mutatione opus esset, cum Lepsius destram escapla legi.